N.o 2. 2a. Classis.

7

42

Assunto Academico.

Pruebase, que lastima mas el alma la tragedia, que
se ve, que la tragedia, que se oye con una dis.on en latin.

Maximus prae caeteris Demosthenis timor in Academia de affec-
tibus animi declamantis (1) mihi, qui solum de corporeis ali-
quid, etsi fateor quam sit exiguum, didici de animo dicturo
tantum intulit formidinis; ut licet ex Platonis effato corpore
adumbret animus (2) facere non possim; quin ante hunc sa-
pientissimum, nobilissimumque consessum fauces velut angina
correptae, vocales difficultatem efficiant. Illud addit praeterea
quod talis ad dicendum mihi causa oblata est, ut in dicendo
timorem propter tristitiam quae ante oculos versabitur, effugere
nullo modo possim. Id enim ad dissertationem mihi contigit
argumentum, quod magis pulsat animum, quod videtur, quam quod
auditur: magis quod oculis, quam quod auribus percipiatur.

Atque ut inde oratio proficiscatur, unde hoc omnis causa
ducitur, (3) ponite vobis ante oculos, Auditores Amplissimi, prae-
sentem calamitatem, naufragium exempli gratia scilicet, ut
inde animus in tristitiam immergatur. Vix enim secunda aura
mutatur in eurum, jam jam caelum atra conglobatur nube, nu-
bes ignitae splendent fulmine, fulmen reboant quatitur tonitru
in praelia hinc inde conjurant turbines, irat mare, jactatur
navis, crepitant antennae, resolvitur clavis, strident rudentes, rum-
puntur vela, Nautae nec in viventium nec defunctorum nume-
ro computantur; hic clamitant, illic lachrymant, ubique ex-
horrescunt, ac navis extremo salutis articulo, vel illiditur
scopulis, vel undis immergitur. Quis inspiciens hos infelices,
tementes tam prope mortem, quam prope aquam, cum afflicto
fractoque animo non lacrymabitur? nemo. Et vero, Quis
exaudiens a Virgilio (4) divinius descriptam tempestatem: Quis
perlegens in Ovidio (5) ac etiam in Genesi (6) divinius expressum
diluvium, tanto dolore corripitur, ut lachrymis obruatur? Nemo
quidem; quod enim aut audiendo, aut legendo percipit, non ita
animum pulsat, ac si oculis comprehendat. Quod ut fundi-
tus cerneremus, in theatrum Philosophiae, Medicinae Ethicae, ac
historiae mentis oculos intendamus; omnia nobis argumenta
suppeditabunt.

Ex Philosophia. Visiva potentia inter externas ea est, quae clari-
us objectum percipit, quae certius, quae perfectius. Cum visione
sive fiat in organo per egressos ab oculis radios, ut asseruit Pla-
to (7) sive per substantialia objecti effluvia, ut propugnavit
Democritus (8) sive per expressae speciei adventum, ut docuit Aris-
toteles (9) sive per fibrillarum corporis commotionem, ut dixit
Cartesius (10) sive tandem per modificatae lucis appulsum, ut ...

(1) Plutarchus In Demosthenem

(2) Plato cit. a Ben. Remozzini orat. 1a. Academ.

(3) Cicero pro lege Manilia

(4) Virgilius 1o. Eneidum

(5) Ovidius 1. Methamorphos.

(6) Genesis. Cap. 7o. fere per tot.

(7) Plato Cit. a Joann. Mendoza in Viridar. lib. 4. problem. 11.

(8) Democrit. cit. a Tosdin 4o. part. Philos. Quaest. 3a. artic. 1o.

(9) Aristotele 2. de anima cap. 7.

(10) Cartesius cit. a Tosdin loco ut supra.

(11) Bayle Verheyen. Joann. Hartmannus in Anthropolog. dissertat. 20. de oculis.

(12) Div. Thomas 1. part. quaest. 12 de Visione.

(13) Plautus in Truculento.

(14) Joannes Mendoza. lib. 5 problem. 8.

(15) Horatius in Arte Poetica.

(16) Verheyen. Hartmannus. Dionisius et comit. omnes Anatomici

(17) Omnes qui supra citant.

re omnes tenent Moderni (11) claram esse Cognitionem rei in se cum Angelico Thoma (12) in unum omnes affirmant. Cui sententiae adstipulatur Plautus (13) ibi: pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem. Unde apud Graecos abiit in proverbium (14) oculis fortius credendum esse quam auribus, mihique cum Poeta Horatio in consequentiam (15)

Segnius irritant animos permissa per aurem,
quam quae sunt oculis subjecta fidelibus ....

Ex Medicina. Ad prodigiosum aurium instrumentum venit sensibile per lineam anfractuosam, et obliquam; ad mirabilis vero oculorum artificium per lineam perpendicularem et rectam (16) ideo non oculorum sed aurium organum oblique constituunt Cavitates, quarum alteram ob varios anfractus vocant Anathomici Labirinthum: (17) Rursus ex distantia inter aures, et oculos metiri potest differentia inter verum, et falsum, ut mentitus fuit Sapiens Anacharsis, teste Plutarcho (18) percontatus enim, quantum distat veritas a mendacio, quantum distant aures ab oculis respondet sapientissime. Deinde in anatomica aurium structura Medici unum tantum officium invenerunt, Audire, qui in excellentiori oculorum constitutione duo munera contemplant, Videre, et Lachrymari. Propterea ex oculis immediate oriunt lachrymae; sic flevit David, flevit Sichem, flevit Jacob, flevit Samson; fleverunt omnes, quia viderunt Samson Dalila, (19) Jacob Rachel, (20) Sichem Dina (21) David Bersabee (22)

Ex Ethica. Oculi sunt indicia specula quae animi passiones ostendunt, intendunt: hoc, quando experientia satis esset pro teste, testatus fuit Plinius in Plenum ibi (23): Oculi sunt animi indices, per quos homines clementiam, amorem, odium, iram, laetitiam, tristitiam, et hujusmodi affectus ostendunt et magis eos augent. Confirmavit Disertissimus Cicero qui, cum hortaretur Torquatus, quod Romam Charissimam sibi Patriam dimittere cogeretur; id tolerabili loco accipiendum esse monuit, cum ob id ipsum ea, quae atrocius Romae fiebant, auribus esto acciperet, oculis non usurparet: Oculi enim inquit Tullius (24) augent dolorem, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri cogunt.

Ex Historia. Non lachrimat Dido eam rem, quam diligebat unice Eneam inquam, cum perciperet auribus discessurum, sed cum fugientem oculis potiret; ideo cecinit Virgilius (25)

Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quaesivit coelo lucem, ingemuitque reperta.

Timanthes nobilis Pictor Iphigeniae stantis ad aras perituram sacrificium pingens, Agammenonis Patris ejus caput velavit, summum Patris maerorem respiciens moerorem, arte exprimi non posse confessus (26)

(18)
Erasmus lib. 8. Apoph. ex Plutarcho in Apoph.

(19)
Judicum Cap. 14 vers. 1. Descendit Samson in Thamnatha vidensque mulierem

(20)
Genesis Cap. 29. vers. 9. 10. 11. ecce Rachel veniebat — quam cum vidisset Jacob — elevata voce flevit

(21)
Genesis Cap. 34. vers. 1. 2 egressa est Dina — quam cum vidisset Sichem — adamavit eam

(22)
Regum Cap. 11. vers. 2. vidit mulierem se lavantem ...
Psalm. 41. vers. 4. fuerunt mihi lachrimae meae panes.

(23)
Plinius in Plenum de Rege
9. cap. 10.

(24)
Cicero ad Torquatum.

(25)
Virgilius 4. Eneid. de morte Didonis.

(26)
Valerius Maximus lib. 8. Cap. 11. ex Plinio lib. 35. Cap. 10.

(27)
Franc. Mendoza in Viridar. lib. 5. problem. 18.

(28)
Franc. Mendoza loco citat.

(29)
Suetonius Cap. 7. ex Mendoza

(30)
Genesis. Cap. 32. vers. 34.

(31)
Tobiae Cap. 5. vers. 13. cui ait Juvenis; forti animo esto, in proximo est, ut a Deo cureris.

(32)
Sapiens Ayllon ad librum folio num. 34.
(33)
Genesis cap. 21. vers. 16.
(34)
Genesis cap. citat. et vers.
(35)
Augustinus in notis biblic. super vers.
(36)
Hieronimus in notis bibl. super vers.
(37)
Exodi cap. 3. vers. 2.
(38)
Exodi eodem cap. vers. 7
(39)
Cicero 2. de oratore
(40)
Virgilius. 4. Georg. Manes & adiit, Regemque tremendum &.
(41)
Ovidius 2. fastorum. Quod mare non novit &.
(42)
Horatius in Poetica. Dictus et Amphion &.
(43)
~~Horat~~ Horatius 3. carmin. ode 11. Tu potes tigres &.
(44)
Horatius libro 1. epistol. 1.
(45)
Hippoc. citatus a Joan. Alvaro in orat. ... epist.

Exaudivit Cesar ille, quem Jovis filium arrogantia predicat, a Pompeyo pluries suum esse exercitum, tranquillo animo fortune detrimenta sustinuit: (27) aspexit ipse, quem fortiorem Achille fama commemorat, caput Pompei oblatum a Theodoro (28) ingemuit: aspexit in Herculis templo simulacrum magni Alexandri, (29) lachrimatus est: Auditam sustinet calamitatem exercitus sui; aspectum ingemit Caput Pompei inimici; simulacrum Alexandri, statue lachrimatur. Non ne ubi vidit Jacob tunicam filii Joseph Hedi sanguine tinctam: scissis vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. (30) Tantum potest oculis haurita calamitas. Ob id forte, quando Angelus proximam visus restaurationem pronunciavit Tobie (31) alio praeripit eloquium oculos non desideras, ne tam propriam, quam suorum, inquit Sapiens Ayllon (32) captivorum calamitatem videret. Non patitur mestissima Agar intueri filium in extremo vite discrimine; ideo illo subter unam arborum derelicto, abiit (33) dicens: non videbo morientem puerum: quando ejus sustinet lachrymosa auscultare lamenta; sedebat enim contra, (34) quando Puer, qui etatis erat annorum vel quindecim apud Augustinum (35) vel decem et octo apud Geronimum, (36) alta quam audivit Deus, voce clamabat. Rursus ipsum met Deum ponit inspecta calamitas in flamma ignis de medio rubi: (37) quando admirante Moyse, priusquam ex audire, respondet: vidi afflictionem populi mei. (38)
At vox, inquit, habet energiam latentem, que per aures sensuum delata vehiculis ad animum permeat, ibique firmius oculis imprimat calamitates: tantam enim ait Cicero (39) vim habet oratio, ut non solum inclinantem erigat, stantem inclinet, sed etiam repugnantem, quo velit inducat, deducat, unde velit. Sic Orpheus homines, (39) Arion feras, (40) Amphion lapides (41) uxorque Mercurius (42) non corporis viribus sed virtute eloquii commovebant. Ideo cecinit Horatius (43)
Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit,
si modo culture patientem accomodet aurem.
Ne tamen vocis efficacia et veritatem, que stellarum fulgorem imitatur apud Hippocratem, (45) fabulosis obtenebrare videat argumentis, seriis assertum, et efficatius resagat: non illo Pithagoris placito, animum nulla re magis, quam voce mulceri; (46) non illis Pirrhi vocibus, se plures subegisse urbes Cinee sermone, quam bellatorum plurium fortitudine; (47) sed illa Filiorum Israel ad Moysem deprecatione; (48) non loquatur nobis dominus, ne forte

F unde oraculi pondus habuisse putandum illud Euripidis: (48) quidquid evertit ferrum, evertit sermo;

Moriamur. Id est (ut interpretat. Carthusiany (50)) ne moriamur ex nimia corporalis harmoniae immutatione.

Nihilominus haec, etsi argumenta efficacia videantur, non eludere modo, sed elidere aggredior. Imbuunt equidem voces efficacius mentem scientiis, quam animum passionibus; ideo simulacrum Apollinis quatuor auribus pinxerunt Lacedemonii, (51) ut scientiam ostenderent multorum auditione rerum nutriri. Itaque Democritus sibi oculos ad philosophiam accessurus effodit, (52) ut sincerus fieret occultae veritatis inspector, cum sedulus esset alienae vocis auditor. ~~[illegible]~~ Voces tandem animum flectunt, in quantum rem ante oculos ponunt; rhetorico enim incitamento, hypotyposi, descriptione ita expressa rei fit demonstratio, ut res potius quam audiri, videri videatur; ideo docet Quintilianus (53) qui capit inspicere audienti laetitiam, laetetur; tristitiam tristetur; iram, irascat; metum metu denique collidat: oratores enim confirmat Cicero (54) motus afferre nullos posse, nisi quibus ipsi concitantur.

Fateor etiam timere filios Israel locuturum Dominum, ne forte moriantur; at hic non hominum, de quo loquimur, sed Dei sermo illis audiendus est: vivus est enim (55) sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae. verum cum de humana voce, humanoque usu quaeritur, tunc profecto fieri non potest, quin aures in percipiendo ab oculis devincantur.

Josephus Forns et Morell artium et medic. D.a

(46) Alexander ab Alexand. lib. 2. cap. 25.

(47) Joan. Mendoça lib. 7. scholio. 3.

(48) Euripides citat. a Mend. eodem lib. et schol.

(49) Exodi cap. 20. vers. 19.

(50) Carthusiany super hunc Exodi versic.

(52) Joan. Aloysius orat. auribus magis, quam oculis addiscendum.

(52) Joan. Aloysius eadem orat. cit.

(53) Quintilianus lib. 6. cap. 2.

(54) Cicero 2. de oratore.

(55) Div. Paulus ad Hebreos cap. 4. vers. 12.